

ejus atq; ita perspectis causæ secretis, isti patrocinio renunciat, & adversarii causam defendendam suscipit? Sed hic distinctio habet locum: Numquid controversia judicialiter ventilanda in jure, aut in facto consistat: *Si in Jure?* cum hoc modo non fiat causæ secretæ propalatio, nec fraus fiat, clienti, advocatus nullum videtur crimen committere. *Si in facto?* tum Advocatus reus est non tam prævaricationis, quam L. Corneliæ de falsis, & quidem illo capite istius legis, quò cavetur, ut pœna falsi coërceatur is, qui instrumenta alicujus penes se deposita prodiderit ejus adversario. L. 1. §. 6. ff. ad L. Cornel. de Fals. Vide Anton. Matth. ad Lib. 47. tit. 9. c. 1. ff. n. 5. p. 217. Vide Carpzov. part. 1. Decis. 91. per tot. p. 456. & 457. Sed de Prævaricatoribus eorumque speciebus legi possunt Johannes Sarisberienfis l. 5. c. 13. p. 304. 305. Policrat. & Zieritz. ad h. artic. p. 119.

V. Quæcunque tandem pœna Prævaricationis olim fuerit in usu, hodie tamen istius delicti pœna in hoc articulo clarè comprehenditur. (1) Absque distinctione criminalis & civilis causæ prævaricator principali suo omne damnum, quod ex isto crimine perceperit, resarcire tenetur: Ratio est, quia ipse per prævaricationem suam fuit in causa, ut alter tale damnum pateretur. Nec saltem ad restitutionem damni, verum etiam ad compensationem commodi obligabitur, quod principalis seu cliens, nisi ipsius causa fuisset prodita, percipere potuisset; quandoquidem ipse dolosè egit, adeoque in causa fuit, ut alteri commodum interverteretur. Igitur ad istius restitutionem non immeritò tenetur. (2) Præter restitutionem damni cum omni causa & interesse prævaricator obnoxius est, a) publicæ expositioni in numellis, ad denotandam ipsius infamiam, quam contraxit. Quamvis tamen hæc pœna non ita apud nos sit in usu. (3) Fustigationi, ut & relegationi; Verum hoc relinquitur arbitrio judicis, qui perpensâ qualitate delicti arbitrabitur, numquid prævaricator fustigandus, & in exilium ejiciendus, vel etiam numquid simili quadam pœna sit afficiendus. Quomodo autem procedatur in crimine prævaricationis, optimè & prolixè ostendit Ludovicus Gilhausen c. 2. Tit. 31. p. 123. & seqq. Arbor. Criminal.

## ARTIC. CXVI.

*Sodomia pœna, sive eorum, qui contra naturam luxuriantur.*

Straff der Unkeuschheit/so wider die Natur geschieht.

Ein Mensch mit einem Vieh/Mann mit Mann/Weib mit Weib/Unkeuschheit treiben/die haben auch das Leben verwirckt/ und man soll sie der gemeinen Gewohnheit nach/mit dem Feuer vom Leben zum Tod richten.

Eee

AD